



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XIII. Docet diuersos motus naturæ, & gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

meas. Ego noui quid expediat vobis: nunc vos reficiam ad duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmas in Elim, nunc inter deserti arenas, vos siti-
re patiar, vt quærat, & diligatis me. Probabo vos filios meos, & examina-
bo, sicut examinatur argentum, ex quo formantur vasa electionis, ad ministe-
rium templi mei. Et postquam vos, modico tempore probauero, recorda-
bor vestri, miserans adolescentiam vestram, & laudans fidem & charita-
tem desponsationis vestræ: quia fide-
lissimè secuti estis me in deserto aridi-
tatis, in terra, quæ non seminatur.

CAP. XIII.

*Docet diuersos motus nature, &
gratia.*

CONSIDERATE vos ipsos, fi-
lij mei, qui, quasi Rebecca, duos
populos bellantes in utero vno porta-
tis: vt animales affectus spiritui subij-
ciantes vocemini, & sitis pacifici filij
Dei. Natura quærit exaltari, &ambu-
lare, sicut vanæ filia Sion extento col-
lo; ad ostensionem vanitatis suæ. Gra-
tia quæ;

tia quærit humiliari sub potenti manu
 Dei, & hominibus vilis apparere. Na-
 tura cupit diuitias, & commoditates,
 vt inueniat consolationem. Gratia cu-
 pit inopiam, & incommoda, reuens
 in hoc mundo consolari. Natura quæ-
 rit occasiones vanè, & superfluè lo-
 quendi, vt hominibus placeat. Gratia
 quærit occasiones tacendi, vt soli Deo
 probetur. Natura desiderat familia-
 ritatem, & conuersationem homi-
 num. Gratia desiderat solitudinem, &
 absconditam communicationem me-
 am. Natura optat curiosa, & noua sem-
 per scire, ac inuenire. Gratia optat
 simplicem, & castam eruditionem me-
 am. Natura appetit dulcia, & lauta cõ-
 niuia. Gratia requirit vilia pauperum
 alimenta. Natura cupit diù viuere:
 Gratia putat lucrum, citò mori. Natu-
 ra odit psalmodiam, vigiliam, & ora-
 tionem: Gratia lætatur Ecclesiæ cantu,
 nocturnis suspiriis, & orationibus. Ec-
 ce filij, quàm longè discrepant natura,
 & gratia. Certè sicut exaltantur Cæli à
 terra, sic exaltantur viæ meæ à vijs ve-
 stris. Vos ergo, si desideratis eò ascen-
 dere,

dere, quò ascendit diuina gratia mea, vt fons aquæ salientis in vitam æternam, motus naturæ corruptæ reprimite, & legem spiritus mei purissimo corde seruate. Exercete gladium spiritus, quod est verbum Dei, & animales affectus viriliter resecaute. Estote filij columbæ de argentatâ, cuius præmia, posteriore tempore ventura, sunt in pallore auri, quo gratiæ merita in regno meo remunerantur. Recedite ab ædificatoribus Babel, cuius culmen numquam pertinget in Cælum. Ego enim descendam, vt videam ciuitatem, & turrin, quam ædificant filij Adam, naturæ motibus incitati: & confundam linguas, & cogitationes eorum oppositas mansuetudini meæ. Vacate potiùs, & sine strepitu malleorum, ædificate taciti ruinas Ierusalem, quas per gratiam meam, implere desidero. Discernite in vobis ipsis, quid gratia suggerat contra naturâ, quasi exploratores vigiles in turri Libani, quæ respicit cõtra Damascũ, Urbẽ inimicã, a me Ciuitatis meæ. Et ego vos instruã in uicta fortitudine militiæ meæ; & habebõ inter dulcissimos filios meos. CAP.